4

DE

HERPETE EXEDENTE,

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE XV. M. APRILIS A. MDCCCXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRIDERICUS FRIEBEZEISER

BEROLINENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. ROTHKEHL, MED. DR.

A. LAU, MED. DR.

J. KIRSCHNER, MED. DD.

BEROLINI

FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO

I. BUETTNER

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, CHIRURGORUM EXERCITUS BORUSSICI SUPREMO PRAEFAECTO, INSTITUTI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI; ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESAREI RUTHENICI ST. WALDIMIRI NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS SUECICI VASANI, ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC. ETC.

FAUTORI

SUMME VENERANDO

TENUE

HOC IUVENILE OPUSCULUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

UNAQUE SE RESQUE SUAS COMMENDAT

AUCTOR.

Prooemium.

E commodis, medico nosocomiali oblatis, haud exigui momenti censeo, quod gravissimorum et rarissimorum exempla malorum multa ei in conspectum veniant, quod remedia in istos, antea iam insanabiles declaratos, adhuc adhibenda, horumque agendi modum cognoscat atque observet, quod tandem adspectu calamitatis huius conductus, ipse animum ad mala summopere intendat et studia singulatim eo dirigat, ut remedia fortasse detegat et auxilii modum inveniat quo miserias illas generis humani fugare aut saltem lenire possit. Nam in plebe et infima multitudine in quam prae alia nosocomii beneficia proficiscuntur, ex vitae genere aliisque rebus externis gravissimi morbi frequenter radices figere possunt. Cum itaque et mihi medico adiutorio in nosocomio caritatis Beroli-

nensi per annum degenti, contigerat, ut hominum morbos diversissimos conspicerem, ad ea mala quam maxime mentem adduxi, quae Chirurgia ulcera salutat. Horum autem prae aliis pertinacissima, maligna et fere nullam saepissime curam admittentia, herpetica sunt: quae exedentia adeo cancrosam induere naturam, hacce tum ipsa vitam exstinguere possunt. De hisce exulcerationibus herpeticis exedentibus, quarum sat frequenter observavi decursum curae que earum conamina, nonnullas conscribam pagellas, deque illarum natura atque sanatione sententiam meam proferam; quas studiorum meorum primitias benignis, L. B. adspectes, quaeso, oculis, nec sis mihi acerrimus iudex in opere diiudicando.

Quodque ulcus cutaneum ex herpete exortum et cutis continuata erosione longiori sive breviori tempore augmentum capiens, quod indolem sub ipsa amplificatione herpeticam retinet, ulcus herpeticum phagedaenicum seu herpes exedens salutatur.

Utut cuiusque herpetis, et sine dubio phagedaenici primordia inflammatoria sunt; initio cutis rubescit, prurit, tenditur et aliquomodo tumida fit adeo ut febricula accedere possit. Tum in illo loco inflammato stigmata parva conspiciuntur et rarissime quidem singula, sed semper fere dense aggregata, quae statim, dum in pustulam mutan-

tur, primo in apice, tum quoque omni circuitu fluido seroso, limpido, rarius blando, paene continuo acri et rodente implentur, pisi magnitudinem ad ipisci queunt, et denique, vel ipso contento disrumpuntur, sive per aegrum frictione aperiuntur, et materiam fluidam, quam continent, effundunt. Pustula aperta, ulcus residuum mox ex pertinacia sua et rapido progressu phagedaenicum se annotat. Huc usque proreptum ulcus manifesto duplici sub forma a me animadvertebatur, prout constitutio scilicet organismi, in quo saeviebat, diversa fuit, quas nunc latius exponam:

1. Fundus ulceris, si sub prima forma adsit, haud multum est cutis compagi immersus, quin adeo superficiem eius in medio suo saepius superet, ceteroquin aequus, et ex parvis subrubris et laxis constipatus est caruncul is carneis, fere omni sensibilitate depravatis, versus margines autem depressus cuti magis insinuatur. Fluidum ex illo effusum ex albido flavescens, tenue quidem sed non iam aquosum nominandum, haud nimia copia secernitur et partes, super quas effluit, quidem erodit, non vero ea vi et rapiditate quam illud in ulcere secundae formae secretum. Margines ulceris retusi parum a fundo distantes et callosi circuitum inaequalem referunt. Area, qua ulcus circumdatur, rubedine pura sed alta et lata tincta est, et epidermis in ea perpetuo solvitur squa-

mis minoribus furfuraceis, sive maioribus. Fundo ipso et marginibus continuo crustae singulae ingenerantur, quae interdum deiectae mox denuo procrescunt. Dolor in toto ulcere exiguus saepissime nullus. Augetur quidem semper planum exulceratum, fit autem amplificatio tarde et sensim solummodo, ita ut haud raro aliis locis prorepat ulcus, aliis siccescat, quomodo per annos quod ad magnitudinem immutatum perdurare possit.

Organismi qui huiusmodi ulcere vitiantur, nulla consuete cachexia sive quoquam statu morboso alio laborant; maxime homines sunt iuveniles, sano faciei colore, infractis viribus in corpore bene nutrito, et omnes functiones cum optime iis succedant, malum topicum solummodo conqueruntur; ad summum signa aliqua anamnestica systema lymphaticum affectum fuisse comprobantia exquiri possunt. Hanc herpetis exedentis speciem ulcus herpeticum mere phagedaenicum insignire velim. Durante tempore haec ulceris forma in secundam transmutatur, quae quidem et mox, exulceratione suborta, locum habere potest.

2. Secunda qua apparet ulcus herpeticum phagedaenicum forma, maligna cognominanda, semper in corpore omnino cachectico invenitur, sive dyscrasia primaria propria concomitatur. Fundus ulceris laxis et sordidis granulis carneis variae

formae confertus, sinuatus est et magis in cutis telam rodendo descendit, inaequalis et corrosus, unde sanies tenuis, cruenta, albida sive subviridis, magna copia effluit, quae male, tanquam empyreumatica olet, et acris atque erodens circuitum ulceris nova inflammatione, qua pustulae, denuo in ulcera abiturae, gignuntur, depascit, et cutis compagem hac ratione ulterius destruit. Margines, quibus ulcerationi fines ponuntur, semper inaequales, decolores, corrosi et lacerati nonnullis solum locis incrustati inveniuntur, simul laxi distantes et reflexi versus ulcus attenuati, tenues, rarius autem callosi atque prominentes extant. Cutis qua cinguntur, rubedinem lividam, diffusam refert, laxa, tumida est et oedematosa, non solum pruritum, sed potius dolorem, saepiusque quidem vehementissimum efficit. Crustae perpaucae ulcere efformantur, solummodo singulis fundi atque marginum locis apparent, magis adhuc epidermis in circumferentia ulceris desquamatur. Intolerabilem causat pruritum circuitus, dolorem ardentem et pungentem fundus, semper ad unum omnia augentur phaenomena ad ulcus delentia, in organismum communem iamiam debilem, et haud sanum reagunt, eiusque crasin disturbant, unde denuo pessimi in eo praeparati humores, ad ulcus reduces, hic cum secretionis organi iam extante

malignitate carcinomatosum malum gignere debeant.

Persistens consuete herpes exedens, rarissime fugax, prae aliis locis faciem defoedat atque morbum scrofulosum, syphiliticum et scorbuticum frequentissimi comites habet. Insequuntur autem ulcus, per longius temporis spatium existens, et summa malitia iam saeviens, defluxus capillorum, cutis compagis destructio, musculorum et ossium, quod ad organismum communem autem, dedolatio, debilitas summa, macies, cachexia, status scrofulosus, phthisis trachealis, pulmonalis, tuberculosa, status gastricus, organorum digestionis status pituitosus chronicus, infimi ventris contentorum infarctus, tumores oedematosi, hydrops universalis et febris lenta.

Continuo longum herpes exedens absoluit decursum et haud raro ad mortem usque non cessat. Saepius malum sistit vicarium aliis maioris momenti morbis, quibuscum, sic positis rebus alternat: eliminare humores depravatos et corpori noxios atque superfluos hoc modo natura per ulcus videtur, si id efficere alia via impeditur. Quod praecipuo attinet ad menstrua anomala, ad statum haemorrhoidalem et arthritidem etc. Memorabile huius mutationis exemplum ulceris

cum aliis morbis P. Frank 1) memoriae mandavit.

His e signis diagnosticis nunc exhibitis elucet me herpetem exedentem inprimis ex malignitate eius in duas subdividere species, idest in ulcus herpeticum mere phagedaenicum et in ulcus herpeticum phagedaenicum malignum, quae non solum externa forma, sed etiam indole inter se discrepant, atque eo tantum conveniunt aliquo modo, quod herpetico ab initio formentur charactere, sine remediis adhibitis fere semper, et cum his haud raro, latius proserpant, et prima ulceris forma temporis decursu in secundam mutetur. Existere, puta, ulcus herpeticum plane efformatum diurturne sine morbo aliquo generali, adeo phagedaenicum esse potest, et neutiquam tamen ostendere maiorem illum malignitatis gradum, quod ad phaenomena localia et etiam ad vitam organismi communem. Quod de ulcere primae formae valet. Hocce autem dolore humorum iactura, eorumque circulatione anomala aliis cum causis occasionalibus cachexiam corporis universalem attrahere debet, atque sic morbum secundarium, quo ipsum deterius fit, sistere: aut e contrario in corpore dyscrasia, ut

1) P. Frank de curandis hominum morbis liber IV de herpete.

scrofulosi, syphilitide etc, vitiato vel iamiam cachectico, et organisationis vitiis deleto, ulcus herpeticum mox ab initio in phagedaenicum malignum abit, et hoc modo malum secundarium e morbo universali evadit. Quae quidem ratio apud ulcus secundae formae animadvertitur. Herpetis idcirco malignitatem signa approbantia singula habeo et topica:

1. Exulceratio gravior et patens, quae adest, si herpes, malitiori natura, magis atque velocius in ulcera aperta abit, quam ex secreto squamas, furfura sive crustas procreat.

2. Formatio squamarum et crustarum rarior.

3. Ichor tenue, neutiquam seu subviride tinctum et foetens.

Herpes genuinus crustaceus e. g., quod ad sanationem eo gradu pertinacissimus esse potest, quo ulcus herpeticum phagedaenicum, detrimenta autem, quae corpori infert, maxime ad eius deformitatem tantummodo pertinent, per longinquum saepius tempus fere immutatus relinquitur, aut minimum modo capit augmentum, fere nullum causat dolorem et optime in affecto individuo succedunt functiones, laboranti, voluptate fruuntur, coitum exercent, infantes pariunt et malo adsueti, id non ferre videntur. Huius modi exempla, praecipue autem mulierum, in magno

nosocomio multa observari queunt. Quodsi autem in hoc herpete crustae sive squamae solvi incipiant, et haud regenerentur, inflammatio circumdans magis extendatur, et quae fuit incrustata superficies et sicca antea exulcerata fiat, atque aperta maneat, iam est auctum periculum. Initio quidem pus secernitur, haud prorsus corruptum, et in ulceribus adhuc superficialibus et parvis crustae quidem et squamae formantur, sed singulae et paucae; decursu autem, si crescit ulceris malignitas, ex parvis exulcerationibus contrahitur ulcus magnum, secretum ex toto depravatur, et neutiquam in crustas sive squamas abit, qua ratione tunc confirmatur ulcus herpeticum phagedaenicum malignum.

Proximam herpetis causam ex longinquo iam tempore medici in dyscrasia ponere solebant. Aut singulari humorum depravatione, dyscrasia herpetica ab iis nominata, ulcus exoriri et contagium herpeticum, cuius indolem accuratius explicare non valebant, inde effervescere putabant: aut dyscrasiam ei subesse syphiliticam, scorfulosam sive scrobuticam opinabantur.

Recentiorum inprimis Haasius 2) impetiginum, ideoque et herpetum indolem in lucem

---

2) Haase Handbuch der chronischen Krankheiten, 4ter Theil.

protulisse credidit, si eos e cutis organi statu inflammatorio procedere docet, ita ut inflammatio mox magis systema capillare in superficie arripiat, mox altius descendens, rete Malpighi infestet, et ea ratione ulcus herpeticum exquisitum tanquam inflammationis exitus adspiciendum sit. Facillime autem intelligendum, hac sententia nil luculentius enucleari, quod veterum doctrina non iam explicasset. In cutis etenim loco, quo ulcus herpeticum adoritur, actionem inflammatoriam exstare debere, certo iam antiquiori tempore quisque se certiorem fecit, quia difficulter, phaenomenis sub exortu herpetis topicis adspectis infitianda est inflammatio, sine qua ceteroquin novum secretorium organon fieri non posse, iam diu tritissimum est. Veritate autem quaeritur, cur talis inflammatio tali cum exitu suboriatur, cur finem erythematis sive cuiusvis alius inflammationis non capiat, sed potius, idque quidem semper, efformatione squamarum, crustarum et ulceris herpetici solvatur? et illud praecipue quod hanc singularem provocet inflammationem et eius decursum hoc proprio modo dirigat, id causa proxima haberi debet, non autem ipsa illa inflammatio, quae ad morbi apparitionem, ad eius symptomata pertinet.

Sine omni dubio in illis hominibus, qui ulcere herpetico iam phagedaenico maligno infestan-

tur, humorum crasin esse subvertam et inde causam suppeditari proximam, nemo non agnoscet, qui illorum colorem depravatum, maciem, digestionem segnem et aliarum functionum disturbationem aut signa, dyscrasias apertas confirmantia, animadvertatur. Haud pari modo res se habere mihi videtur circa illa ad primam formam pertinentia ulcera herpetica. Quod si enim huiusmodi ulcere affectos iuvenes et bene nutritos, viribus infractis praeditos, eorumque functiones optime succedentes intueor, in iis propriam hypertrophiam, cum humorum sequente congestione, accipere coactus mihi videor, qua natura succos corpori non necessarios ulcere deplere petat, inprimis si organa se-et excretoria, a natura corpori addita, actionem, ad nutritionis validae relationem nimis debilem exserant, aut, ad certum tempus corpori stabilita vis formatrix, cum eam comitante humorum turgescentia ad quoddam illi prospiciens organon, prodire nequeat. Quantum necessario differant materiae nutrientes, quas organa ex alimentis praeparant, quotidiana docet experientia nos observantes, digestione bona et functionibus ceteris non turbatis, homines alios, pauco cum nutrimento magnam, alios autem multis ex alimentis exiguam modo partium nutrientium copiam corpori apponere. Sic huc accedit, partes genitales iamiam evolutas iuvenilis hominis actio-

nem suam non proferre, aut in puella virium valetudini eius bonae intentio necessaria in utero, efformatione foetus, non sequitur, restant in corpore succorum copiae, temporis decursu deplendae, si sanitas retineri debeat. Ut hanc tangat metam, organismi solita organa excretoria intendit frequentissime natura, exiguus autem ab externis corpori illatus stimulus, sive ingesta eodem modo agentia, depletionem et aliis inusitatis locis, aut organon secretorium morbosum gignere possunt. Hanc morbosam secretionem introduci ac protrahi necesse esse statu inflammatorio, nemo est qui non intelligat, praecipue cum omnes ad illum conditiones, humorum congestio auctorum, vires sufficientes, incitamentum externum sive internum in corpore praevaleant. Qua ratione et haud incongruum est, talia ulcera per longinguum tempus sine maiori malignitatis gradu existere posse; initio enim illa duntaxat fluida ad novum colatorium ducuntur, quae ad corporis existentiam non opus sunt, simulac autem causa sive externa sive interna inflammationem circa exulcerationem super illum ad hanc necessarium gradum adauxerit, aut vita corporis sive functionum eius ita sit immutata, ut vel nimis multi vel non sufficientes vel incongrui deponantur humores ad ulcus, eius secretioni et aliam indolem attribui oportet, secretam materiam copia peccare,

vel viliorem et acrem fieri, atque hoc modo in humorum copiam et nutritionem exitialiter reagere, corporisque ad ulcus compagem magis et velocius destruere.

Hanc sententiam inprimis illa sanationis exempla confirmant, ubi huiusmodi apud puellas ulcera, remediis omnibus frustra adhibitis, frequenter repentine corpus non amplius exeserint, sed crescere desierint et nihil porro incommodi effecerint, quando illae coitum exercere coepissent, aut adeo omnino disparuerint sine valetudinis bonae detrimento, si illae pluries peperissent; tum bona in illa ulcera efficacia per inediam curationis, summa utilitas, quam afferunt remedia derivantia, fortiter sed caute ad tubum intestinalem et adrenes adhibita, et hydrargyri muriatici mitis usus internus ad reproductionis evagantis imminutionem. Quae omnia mihi fuit observandi occasio.

Causis praedisponentibus herpetis exedentis maxime et diathesis hereditaria annumeranda, ex causa scrofulosa syphilitica etc. sive ex illa propria hypertrophia a parentibus in infantes progressa. Frequentissime ulcera haec cutem deturpant in puellis iuvenilibus succi plenis, fere puberes factis, provectiori aetate sed maligniora eo vitae momento cernuntur, quo imi ventris infarctus, amenorrhoea, haemorrhoides earumque ataxiae hominem aggredi coeperunt. Ex influxibus endemicis

atque epidemicis praecipue regiones humidae nebulosae et paludosae, et in universum aëris constitutio laxa herpeti favent.

Causae locales, quae herpeticum ulcus in lucem proferre valent, notandae sunt insultationes cutis mechanicae ac chemicae, frictiones, immunditics et illius mala habita cura, vesicatoria et sinapismi, et ipsa infectio per secretum herpeticum huc referenda.

Ad causas herpetici ulceris generales numerandae sunt dyscrasiae apertae variae, suis propriis signis exquirendae uti syphilis, scrofulosis, scorbutus et arthritis, tunc status corporis universi cachecticus, pravis, acribus et salsis alimentis et potionibus, sive aliis nocentibus progenitus, porro urinae secretio alienata, pedum sudorum consuetorum et katameniorum suppressio, morbi imi ventris, appetitus coitus vehemens, cui indulgeri non potest, cum systematis vasorum magna irritatione, atque praeparatio valida particulorum nutrientium, quos aequo pondere corpus in moleculas suas convertere non valet.

Prognosis herpetis exedentis mala semper conformanda. Maxima sanationis spes intrat, si ulcus recens primam descriptam adhuc retineat formam, et in organismo iuvenili medicus omnes vires nocentes, malo faventes, arcere, et corporis actionem universam conditionibus externis in melius

convretere valeat. Saltem, bona adhibita cura, in ulcere primae formae ampliori cutis exesioni praecavere possumus, si sanare ulcus etiam nequeamus. Desperandum nobis est si, ulcere saeviente phagedaenico maligno, iam extant cachexia universalis, corporis emaciatio, virium defectus atque imi ventris circulationis impedimenta. Quo magis corporis omnes valent functiones, quo magis ipsum adhuc viget eo melius praeiudicare possumus.

In ulcere sanando non boni momenti est, si nimis velociter dispareat, quo nonnunquam subita ac inexspectata allata sit mors. Repellitur autem hoc modo facillime ulcus in eo stadio, quo abit ex mere phagedaenico in phagedaenicum malignum descriptum; fit per refrigerium topicum et derivationes turbulentas ad tubum intestinalem imprudenter institutas. Vidi hominem, viginti novem annorum, herpete faciei exedente laborantem, cachecticum quidem iam aliquomodo, sat autem viribus adhuc praeditum, quamvis ex infantia cutis eius hac et aliis impetiginibus iam saepius deturpata esset, cui remedia mercurialia et antimonialia interne porrecta nil initio profuerunt, quia minori dosi illam ad malum extinguendum necessariam revulsionem adducendo erant impares. Tum autem antimonio crudo ea dosi adhibito, qua magnopere intestinorum secre-

tionem adauget, et alvi excitat depositiones frequentes, atque exanthemate artefic ali pustuloso ad cervicem dorsumque frictionibus unguenti tartari stibiati procreato, in summam medicorum laetitiam celeriter disparuit herpeticum ulcus. Mox autem post disparitionem hanc turbulentam coenaesthesis aegroti etiam alienabatur, et aggrediebantur eum affectiones pectoris ventris et aliae, subitoque media nocte corpus convellebatur, atque spasmis sub ipsis chlonicis vita extinguebatur.

Cadaveris sectio nullam aliam obtulit mortis causam, quam extravasatum sanguinis venosi in anteriores cerebri lobos depositum.

Si de ulceris sanatione ex signis topicis quid diiudicare velimus, necesse est ne caruncnlas illas carneas, laxas atque subrubidas procrescentes, bonas atque sanas hebeamus, quae scilicet rubedine semper intensiori tinctae atque validiores esse debent.

Sub cura herpetis exedentis ad momenta causalia respiciatur, num indoles primaria vel secundaria, num recens vel antiqua impetiginis sit, et qua ex origine fluat, inquiratur necesse est. Dyscrasias apertas ut syphilitiden, scrofulosin, scorbutum etc. remediis his ipsis oppositis corrigamus et ulcus ipsum, munditie semper curata, modo sedantibus et remediis vitalitati eius adaptatis tractemus. Quod si autem ulcus adest in corpore

e summo debili et cachexia vera, cui porro et annectuntur vitia organica, labefactato, inprimis necesse est, ut omnes eius functiones. prae aliis autem il um organorum digistionis erigi curemus, quo materiae corpori apponendae meliores praeparentur, atque viliores ex eo eliminentur. Hic loci utamur remediis leniter resolventibus, atque digestionem iuvantibus, ut kali tartarico cum extracto taraxaci, graminis, chelidonii, millefolii, tinctura rhei aquosa, sero lactis, succis recenter expressis, aqua Selteriana et aliis; procedamus ad remedia amaroaromatica, ad amara, aromatica et ad adstringentia ita ut chinae cortice curam finiamus. Sub hac cura alvi excretionem semper klysmatibus conveniente tempore sustineamus, renum secretionem specierum singularum decoctis, sive sero lactis, sive aliis prudenter propinatis, promoveamus, et cutis functioni balneis tepidis prospiciamus. Quod si tunc corpus ita valeat, ut vehementiores a nobis ferre queat impressiones, neque malum topicum cura roborante multum in melius redditum iam sit, medicamina in usum trahamus corporis naturae magis differentia, ut plane aliam ei inferamus indolem.

Adornemus acria fortiora ut iuaiacum, corticem mecerei, pulsatillam nigricantem, kali sulphuratum, tum metallica, ut hydrargyrum muriaticum corrosivum, cuprum ammoniacale, sulphur

auratum antimonii, bismuthum nitricum praecipitatum quodquid Arsenicum. Ad ulcus ipsum medicamenta imponamus acriora, ceteris pagellis describenda. Permultum et hac sub rerum positione curam adiuvat diaeta blanda, nutriens et placide concoquenda, atque aeris inspiratio puri. Neque semper, si corporis id permittat conditio, negligendae sunt derivationes ad tubum intestinalem et ad renes.

Quando autem status morbosus corporis mixtus animadvertatur ita ut syphilitidis, scrofuloseos aut cuiuscunque aliae apertae dyscrasiae reliquia in eo adhuc saeviant, generali humorum cachexiae iam coniuncta, praecipue unum memoratu dignum habeo remedium, quod et in nosocomio nostro auxilium saepissime ferebat, id est decoctum Zittmanni cuius formulam hoc exponam loco:

Rec. Radic. Sarsaparillae unc. XII.

Concis. infund. in lebete stanneo cum aquae font. mens. XXIV. dein infus. imittatur sacculus qui includit:

Sacchari aluminis (Sacch. et alum. aa.) unc. unam sem.

Mercurii dulcis unc. sem.

Cinnabaris antimonii sublimati drachm. unam.

Coq. donec supersint mensur. octo.

Sub finem coct. adde
Seminum anisi
- foeniculi aa unc. sem.
Foliorum sennae unc. III.
Radicis liquiritiae unc. unam sem.
Ebullitione decocti exorta redundatio evitetur. Colatura S. Decoctum fortius.

Speciebus residuis denue addantur:
Radicis Sarsaparillae contusae unc. VI.
coq. c. aquae fontanae Mensur. XXIV.
ad remanentiam mensurarum VIII.
Sub finem coctionis adiiciantur:
Corticis Citri
- cinnamomi
Cardamom. minorum
Radicis liquiritiae aa drachm. III.
Colatura S. Decoctum mitius.

Si autem regat in corpore, quod saepius in iuvenili fieri solet, illa iam memorata singularis hypertrophia maxime duo sunt observanda:

1. Ne nimis multum alimenti ingeratur corpori curemus.
2. Quin pro corporis valetudine bona ex illo succorum nimia copia praeparetur, impediamus, eorumque excretionem forsan superfluorum alia quam per ulcus via properemus.

Primum per diaetam, organismi constitutioni ex intimo adaptatam, absolvimus: pura blanda

sit non acris et minus nutriens: caro quantum fieri potest omittenda, certe tenera, glutinosa, et quaecunque lenis est tantummodo sumenda, non assa sed modo cocta, praecipue adornanda sunt olera blanda, radix dauci, lactuca, cucumeres, portulaca, spinacia, brassica Sabauda, asparagus, pulticnla ex bulbis solani tuberosi, iuscula tenera ex avena decorticata, pani albo et lacte decocta, poma etc. Pro potu ordinario aqua fontana maiori copia sive lac propinanda.

Secundum iussum quod attinet, inprimis et fere solum hydrargyrum muriaticum mite effectum hic exserit, et quidem tractationis initio ad Weinholdi methodum porrectum, ita ut pro rei conditione sex, octo sive duodecim huiusmodi doses sumi sinamus, curae decursu autem, respectu magis curae externae, et regimine aptissimo ad valetudinem corporis bonam promovendam semper continuato, semel vel bis in hebdomada leniter et prudenter alvum per calomel purgemus, dum id solum ad viginti usque grana, sive cum radice Jalappae iunctum, illius grana circiter sex, et huius grana quindecim, proscribimus. Multum utilitatis in hoc puncto, experitissimorum virorum testimonio, continuatus et per annos non interruptus sulphuris depurati usus tulisse dicitur, ita quidem, ut quovis tempore matutino aegri dimidiam ad sesqui drachmam illius capiant, quo

intestinorum secretio properetur, alvi depositiones molles atque frequentiores excitentur, et cutis quoque functio efficacius sustineatur.

Sub his omnibus balnea tepida et decocta urinifera proscribere non obliviscamur. Quamvis autem revulsiones et evacuationes in illo statu, quo corpus humoribus albis abundat, non satis sint commendandae, magna tamen et singularis etiam cautio necessaria, ut in quovis temporis momento conditionem organismi attente observemus, ne denuo intestinalis tubi morbum gignamus, sed modum actionem corporis perversam pedetentim ad regulam reducamus. Si porro in iuvenilibus individuis actionem partium genitalium, pro valetudine huius aetatis bona necessariam, in lucem proferri non posse intelleximus, rationi maxime convenire credo, si coitus modicum exercitium, ubi circumstantiae id permittant, suadeamus, quo partim placida humorum depletio, partim salubris totius corporis irritatio et revulsoria in utero actio producatur.

Localis ulceris tractatio, quando internis remediis ad finem pervenire putemus, in eo consistit, ut partim per summam munditiem et medicamentorum indifferentium applicationem, emollientium et anodynorum, quibus exulcerationem crustis solutam faciamus, sanationem non cohibeamus, partim per apta remedia solita externa

curam internam adiuvemus. Ulceri, superficiem valde impuram offerenti, hydrargyrum praecipitatum rubrum, sive alumen ustum, sive cantharidum pulverem inspergamus sive unguentum ex praecipitato rubro, sive e fuligine splendente imponamus. Nimiam ichoris copiam optime imbibit pulvis carbonum inspersus, sive corticis quercus, sive chinae, sive myrrhae, deligatione sicca superimposita. Carunculis procrescentibus, in ulcere novam carnem genituris, laxis ac debilibus auxilio est applicatio solutionis lapidis infernalis, vini camphorati, decocti nucum Juglandium, decocti quercus cum alumine, decocti chinae etc.

Sub hoc diuturno ac in habitudinem iam converso ulcere impetiginoso, huic ipsi vicinus non sine fundamento, priusquam illud persanetur excitabitur fonticulus. Simulac autem, cura interna ex omnibus artis regulis instituta, sat longumque per tempus continuata, ne vestigium sanationis, ne purgationem quidem aliquam in ulcere animadvertamus, aut nimis lento passu illa procedat, radicitus planum exulceratum auxiliis vehementissime agentibus, causticis, exstirpandum est, superficies pus bonum secernens provocanda, haecce per aptas fasciationes ad cicatrisationem adducenda. Nuperrimis temporibus duo praecipue auxilia ad hanc eradicationem probata invenierunt.

Inprimis quidem unguentum, a quodam Hellmuth primo indicatum, e pulvere Cosmi et unguento, ab illo ipso invento narcotico confectum, cuius applicatio ex ipsius in Caritatis nosocomio factis tentaminibus sequenti modo optima fit:

Rec. Cinnab. factit.
Ciner. solear. tost. aa gr. XII.
Sanguin. Dracon. gr. XVI.
Arsenic. albi Scrup. II.
M. f. pulvis.

Rec. Balsam. peruv.
Extr. Conii aa drachm. IV.
Plumb. acetic. scrup. IV.
Trae opii croc. scrup. II.
Ungt. cerei unc. IV.
M. f. l. a. ungt.

Huius pulveris drachma cum unguenti uncia exactissime miscetur, et chartae lusoriae crassitudine plumaceolo, ex subtili linteo carpto confecto, illinitur, hocce planum exulceratum illo modo obtegitur, ut quodammodo margines eius transgrediatur. Sin autem remedium cavis applicandum, turunda, eodem modo inuncta, immittenda est. Quando optimum Arsenicum pulveri fuerit immistum, aegri mox post impositionem unguenti vehementissimum conqueruntur dolorem in parte obtecta: facies (hoc loco si fuit adhibitum) oedematosa fit et intumescit, velde rubescit et, ubi

cephalea intret, regio frontis maxime, et quidem pulsuum saepissime acceleratione, vexatur. Quae omnia, phaenomena salubria sunt adspicienda, atque remedii efficaciam probantia, adeoque, illis non observatis, necesse est quantitatem pulveris in unguento augeri, ut validiores exserantur effectus. Quando autem unguentum ad herpetis sicci eradicationem in usum trahere cupias, incrustata superficies antea in exulceratam est convertenda, quoniam ex observatione minime reagit planum siccum in unguentum. Optime illud peragitur imposito emplastro vesicatorio ordinario, et tunc, exulceratione facta, unguentum pari modo applicandum. Diligatio quotidie renovatur, et summa cura crustae, quae ulceri insunt, atque sanies fomentationibus tepidis per aegrum, et instrumento per chirurgum eliminantur. Fasciatione bis sive ter reiterata dolores consuete aliquomodo remittunt, ulceris superficies impura et sordida fit, decolorem semper crescentem et quodammodo squalide marmoratum induit, et sphaceli initium atque progressum, quo tota illa pars, quae planum exulceratum proxima efformet, corrumpitur, nos intueri licet. Exoritur tunc linea sphacelo finem ponens et maiori inflammatione distinguenda, quae demortuum, crustas lividas exhibens, circumducit, et sub his salubrem incipere suppurationem sinit. Nunc temporis ad est

momentum, quo unguentum imponendum mutari debeat. Adhiberi quidem unguentum narcoticum solum oportet, quo sphacelo deleti separatio bene succedat; in contrariam autem rem, si singulis locis lividitas remaneat, neque exulceratio in meliorem vertatur, pulvis denuo, sed minori quantitate ex medici iudicio unguento immiscetur, ac ita impuri perfecta solutio efficitur, usque dum ad purum unguentum redire permissum est, quod tum sanationem et solum peragere valet. Solvitur nempe unguenti impositione reiterata superficies tota sphacelosa ab ipsa subiacente bene suppurante, atque ad decimum quartum usque diem certe deiicitur. Quo facto pura apparet superficies secretoria, quae velocem admittit sanationem. Quodsi autem ulceris malignitas revertatur, totum curationis modum pari modo, sive pulveris admistione pro rerum statu immutata, repetitis temporibus in usum vocare licebit. Mundities et accurata deligationis applicatio autem sunt, quae maxime celerem adducunt medelam, et praecipue, ne internus medicamentorum usus negligatur inspiciendum est, quo prae aliis lenis in tubum intestinalem et organa uropoetica pertinet derivatio, nec non diaeta blanda et restricta. An hic Arsenicum absorptum et sanguini ad mixtum imprimis cachexiam singularem debellet non dicam, certissime vero caustici in

modum agit. Ceteroquin usque ad hunc actum nunquam intoxicationis exempla, unguento tali modo adhibito, observarunt.

Unguentum narcoticum proprimo caustico basin praebet, haud dubie autem et multum ad processum singularem affert, quo ulcus sphaceli exortu in organon merum pus secernens converti videmus. Nam persuasum mihi habeo, dum arsenicum in supremum ulceris stratum omnino deleterium exserit effectum, unguenti narcotica actionem demulcere, et bonum exitum properare, ita quidem ut metallicum et vegetabile narcoticum vasorum nervorumque partium inferiorum haud affectorum strata intueatur, ne etiam in deletionem trahantur, eorumque functiones erigat ad futuram suppurationem, balsamum autem ad lenem et modicum impellat partes actuositatem, qua vitati deiectio et futura sanatio ponitur.

Secundum efficacissimum ad hanc deletionem remedium unguentum corrosivum Graefii profero, quod in instituto clinico — chirurgico — ophthalmiatrico Berolinensi similiter sequenti modo adhibetur:

Rec. Pulv. hydrarg. mur. corros. Drach. II.
— gummi mimos Scrup. I.
Aqua destill. Scrup. I.
M. f. ungt. spissum s. unguentum corrosivum.

Penicilli ope unguentum lineae circiter crassitudine, sive pro rerum conditione altius, ulceratae superficiei illinitur, et ita quidem ut ulceris fines ad sesqui fere lineas in sanas partes supergrediatur. Nonnullis post unguenti illitum secundis praeterlapsis, illud siccescit et adhaerescit, atque tunc boleto agarico, striis emplastri adhaesivi adstricto, obtegitur. Dimidia hora ab unguenti applicatione elapsa, dolorem summe urentem sub deligatione sentit aegrotus, partes ulceri vicinae inflammatione mox arripi, atque duabus horis post, ac in individuis, maiori quidem incitabilitate praeditis, iam antea, valde intumescere incipiunt. Sequenti aut tertio aut quarto fortasse die saepius, si late pateat malum cui applicitum fuit remedium, aut maxime si facies offensa sit et incitabilis afficiatur homo, ptyalismus incidere solet. Ad intumescentiam inflammatoriam et ptyalismum graviorem sedandum, laxans aliquod aegro postero die porrigere conducit. Renovatio deligationis tertio fit die: boleto ignario caute detracto, ne haemorrhagiam inutilem causemus, ulceris superficiem nigra sphacelosa coriacea crusta obtectam invenimus, quam a sano linea seiungit optimum pus secernens. Sub hoc adspectu mox ulceri unguentum e Zinco (Florum Zinci Drach. I. Ungt. pomad. Unc. I.) imponimus, et hoc usque ad crustarum solutionem continuo utimur, quod

post quatuor sive quinque iam dies intrare solet. Adducitur etiam totalis cicatrisatio huius ungenti continuato usu, si modo iam fuit sanis carunculis carneis obducta ulceris superficies. Quodsi autem singula eius loca lividum atquc mucosum referant adspectum, crustis iam solutis, haec denuo, unguento e Zinco sano duntaxat superimposito, unguento corrosivo illinuntur. Sanatio inter tres sive quatuor hebdomadas certe absolvitur, si etiam magna iam destructa fuerit cutis pars. Sensim sensimque disparent, prius intumescentia partium vicinarum, tunc et ptyalismus, qui quidem semper optandus, experientia cum doceret, curam, illo accesso, eo melius et securius procedere.

CURRICULUM VITAE
EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS UNIVERSITATIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego, Ioannes Fridericus Friebezeiser die decimo mensis Iulii Berolini a MDCCCII. patre optimo, praeceptore scholae Parochiae Luisianae illius urbis, matre carissima e gente Davidiana natus, et Christianae religioni secundum Lutheri formulas addictus sum. Quinto autem iam aetatis anno maxime mihi dolenda fuit mors matris dilectissimae, quod tamen damnum pater, post annos praeterlapsos duos, per novercam optimam, quae nunc adhuc curam gerit pro me, omni modo mihi reparavit. Primis literarum rudimentis in schola paterna instructus, ad annum aetatis decimum quartum a Cel. viro Bellermann gymnasii huius urbis civibus adscriptus sum, atque in eo per quatuor annos iis incubui literis, quae ineundis studiis viam muniunt. Hoc temporis spatio inexorabile fatum unice dilectum patrem mihi abstulit. Mense Aprili a. MDCCCXX in numerum alumnorum instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmani receptus sum, et ex tempore hisce interfui praelectionibus: Hodegeticen et Logicen Cel. Wolff. mihi tradidit, de Botanice et historia naturali, nec non de Vita Ill. Link praelectionibus adfui. De Zoologia Cel. Lichtenstein audivi; ab Ill. Rudolphi Encyclopaediae medicae, anatomes universae nec non organorum sensuum, Entozoologiae et Physiologiae praecepta accepi; Osteologiam, Splanchnologiam, Syndesmologiam, artem formulas

medicas concinnandi et Anthropologiam forensem Ill. Knape me docuit, arti cadavera rite dissecandi, Ill. Rudolphi et Ill. Knape ducibus, operam navavi. De Physice, Chemia et Pharmacia Cel. Turte nec non Ill. Hermbstaedt audivi; Clar. Eck praelectionibus de Physiologia tam generali quam speciali, et iis Cel. Horkel de vita vegetativa adfui. Adii praelectiones Cel. Osann de materia medica et generali et speciali atque de fontibus medicatis, Cel. Fr. Hufeland de Pathologia generali, Semiotice ac Therapia universali. Ill. Horn Pathologiam specialem et morbos syphiliticos mihi illustravit. Cel. Kluge de Chirurgia generali, de morbis ossium primitus mechanicis, de arte obstetricia et arte fascias rite imponendi disserentem audivi eiusque ab exercitationibus clinicis non abfui: Ill Rust in Chirurgia generali et speciali, Ill. Rust et Cel. Kluge in cursu operationum chirurgicarum me instituerunt. Ill. Graefe de Chirurgia generali et speciali nec non de Akiurgia praelectionibus interfui, eodemque viro Ill. et Ill. Rust in clinico chirurgico-ophthalmiatrico ducibus glorior. Ab Ill. C. W. Hufeland Therapia speciali et Macrobiotice imbutus sum, scholasque frequentavi clinicas medicas Ill. Hufeland et Ill. Neumann.

His studiis peractis in nosocomio Caritatis Berolinensi per annum medici inferioris munere functus sum. Iam vero peracto studiorum cursu, ac tentamine examineque rigoroso coram gratiosa medicorum facultate legitime absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque rite defensis, summi in utraque medicina honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Vis vitalis perverti potest, sine materia organica antea iam depravata.

II. Absque crisi nulla terminatur febris.

III. Exanthemata acuta pro crisi non sunt habenda.

VI. Qui bonus theoreticus, non semper bonus practicus.